



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 52. Congregatio Nationum pro electione Pontificis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

rant. Hunc Joannes XXIII, Onuphrio Sæcul. XV.
 teste, Cardinalem Presbyterum creavit A.C. 1417.
 Anno Domini millesimo quadringentesi-
 mo undecimo; attamen acta Concilii il-
 lum hac prærogativa nusquam honorant.

§. LII.

*Congregatio Nationum pro electione
 Pontificis.*

Quinta ab obitu Episcopi die seu nona Ibid. p. 1419.
 Septembris in Ecclesia Cathedrali
 conventum celebrarunt Nationes, ut de
 electione, ac revocanda disciplina deli-
 berarent. In ea Cardinales unacum Ita-
 lis, Gallis atque Hispanis exhibebant li-
 bellum, in quo de dilata Pontificis ele-
 ctione gravi verborum vi conqueruntur,
 asserentes, timendum fore, ne ejusmodi
 cunctatio Ecclesiam inficeret schismate
 novo, eoque magis insanabili, quam præ-
 sens esset, cui medelam quærere hucus-
 que satagunt. His subjungunt, Cardi-
 nales unacum tribus Nationibus, quæ se-
 se illis associassent, haud segniori quidem
 erga reformationem fervere studio, hanc
 tamen omnino electioni Pontificis præ-
 ponendam, haud sibi videri, eoquod nil
 magis deforme in Ecclesia esset, quam
 corpus sine capite, aliunde vero reforma-
 tionem electioni præmittere, perinde esse,
 ac si Concilii decretis, necnon Narbon-
 ensi

Sæcul. XV.
A.C. 1417.

nensi Capitulationi ex composito refragaretur, cum in illis unio Ecclesiæ constanter reformationi præponeretur; tandem asserebant, ex viginti quatuor Cardinalibus duos duntaxat Imperatoris sententiæ accedere, qui sibi pudori ducerent, confratrum suorum Collegium deseruisse.

§. LIII.

Cæsar ob Cardinalium libellum indignatus.

Cardinalium libellus tantopere Cæsaris animum commoverat, ut ulterioris lectionis impatiens, indignabundus cum Patriarcha Antiocheno e cætu abiret. Hujus dissidii occasionem Oratores Castellani, qui jam antea cum Arragonensibus de Sedis prærogativa contenderant, opportune in rem suam vertentes, Constantia excedebant; verum Imperator paucis ab urbe stadiis comprehendi iustos redire compulit. Idem quoque Cardinalibus inibuit, ne sequenti die vel in Ecclesia Cathedrali vel in Episcopali Palatio convenirent; hi autem Imperatoris indignationem veriti, Electorem Brandeburgicum, necnon Senatum Constantiensem adibant, securitatis literas impetraturi, ut & ipsis tuto discedere liceret. Verum Elector eos, ut subsisterent, induxit.

§. LIV.